



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Reminiscere, Euangelium Matthaei, XV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

mentorum, de ignoratione fidei, & uera inuocati  
onis, de monasticis cultibus.

## VIII.

## DE TERTIA.

**P**ostrema tentatio est. regni causa manifestam  
idolatriam constituere, & descendere. Sicut  
utrumq; regnum Papæ & Mahometi habet præci  
puos neruos, certam idolatriam. Præmonet igitur  
nos Christus, ut hæc regna postrema oppressura  
Ecclesiam, iudicare discamus, & uitemus idolatri  
as, & non defugiamus certamina. & significatus  
exitus certaminum.

DOMINICA REMINIS  
cere, Euangelium Mat  
thæi, XV.

**E**T egressus inde Ihesus, secessit in  
partes Tyrî & Sidonis, Et ecce mu  
lier Cananæa a finibus illis egressa, cla  
mauit ad eum dicens. Misere mei  
Domine fili Dauid, fila mea a damo  
nio male uexatur. Ille autē non respō  
dit ei uerbum. Et accedentes discipuli  
eius, rogabant eum, dicentes, Dimitte  
eam, quia clamat post nos. Ipse autem  
respondens ait, Non sum missus, nisi  
ad oues

DOMINICA

ad oues quæ perierunt domus Israel.  
At illa uenit & adorauit eum, dicens,  
Domine adiuua me. Ille autem respon-  
dens, ait, Non est bonum sumere pa-  
nem filiorum, & proijcere catellis. At  
illa dixit, Etiam Domine. Sedenim et  
catelli edunt de micis quæ cadunt de  
mensa dominorum suorum. Tunc re-  
spondens Iesus, ait illi, O mulier, ma-  
gna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Et  
sanata est filia eius ex illa hora.

PRIMVS locus de miraculis.

II De tentationibus, quæ obstrepunt  
precanti.

III De fide, & præcipuo cultu.

DE PRIMO.

**P**RIMVM hic generalis doctrina repetenda  
est, quod miracula sint testimonia, hunc docto-  
rem uere missum esse à DEO, Item quod hic do-  
ctor sit Dominus, & promissus saluator, qualem  
se prædicat, destruens opera Diaboli, peccatum,  
tyrannidem Diaboli, & mortem.

DE SECVNDO.

**P**eculiaris imago hic proponitur. Nusquam  
a deo duriter præterit, aut reijcit preces ortas

EX HE

ex uero, & magno dolore, ut hic. Et duo obijciuntur, Primum quod non sit ex Israel. Secundo, quod sit indigna, ut canis. Ex his tentationibus ipsa tamen eluctatur, & tandem fide impetrat, quod petit. Hic igitur discamus singulorum animos oppugnari similibus tentationibus. Nec propterea fidem abijciendam esse, sed potius erigendam inter hos fluctus.

Sunt autem duæ præcipuæ tentationes, Altera de indignitate, Altera de electione. Prior ex lege oritur. Semper enim clamat lex in conscientijs nostris, Deum respicere, exaudire, saluare dignos, iustos. Nos uero iniustos, indignos, pollutos, & abiectos esse, sicut canes. Huic tentationi debet opponi doctrina Euangelij de gratuita iustificatione, & de exclusiua, Gratis, & colligi testimonia, quæ ostendunt indignos, iniustos recipi: Romanos .3. Gratis iustificamur fide, Item Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, Item Tibi sum tantum peccator. Item hoc loco conferri debent peccatum, & gratia, Sicut Paulus confert Roma. 6. Gratia exuberat supra peccatum. Pluris fiat filius Dei, et sacrificium filij Dei, quam nostrum peccatū, ut statuamus nobis ignosci, remitti peccatū, et incipiamus obedire Deo. Hæ sunt firmæ, & ueræ cōsolationes contra tentationē de indignitate.

Alteræ

Duæ obijctiones

Duæ tentationes

Doctrina Euangelij de gratuita iustificatione

Conferri debent peccatum & gratia

## DOMINICA

Altera concurre de electione. Quia homines, cum uident reijci multos bene meritos, ut Saulem, Augustum, Ciceronem, et recipi longe deteriores, ut Magdalenam, Latronem in Cruce, & c. disputant de particularitate, uidelicet. Deum habere quendam catalogum eorum, quos uelit saluos facere, ceteros uero negligi, sicut canes, Ita tribuunt Deo inaequalitatem, quod re ipsa est accusare eum tyrannidis. Haec est durissima tentatio, Sed huic tentationi opponenda est doctrina, quod promissiones sint uniuersales. Et diligenter uniuersales colligende sunt, ut Ioannis. 3. Vt omnis, qui credit in filium, non pereat, Item, Venite ad me omnes: Item Roman. x. Deus est idem omnibus, diues in omnes inuocantes se.

Huc adiungatur mandatū immutabile, et quod longe positum est supra omnes leges, uidelicet, quod precipit, ut omnes credant filio Dei, & huic mandato necesse est omnes obtemperare. Nec nos querere, aut scrutari uoluntatē Dei debemus, seposito hoc mandato, & reiectis promissionibus. Et cum Christus dicat: Ego sum uia, ueritas, & uita, Item: qui uidet me, uidet & Patrem, uoluntas Dei necessario querenda est in Filio nobis donato, & Euangelio, quod filius Dei ex sinu Patris protulit.

Has consolationes meminerimus, ut habeamus  
firmas

firmas refutationes illarum tentationum, quæ plurimorum animos exercent, & quotidie in inuocatione proferamus has consolationes. Nam si inspexeris animum tuum, uidebis te his duabus tentationibus impediri, ne inuoces, quia cogitas te indignum esse, Item cogitas Deum suos quosdam elegisse, te uero negligi. Et accedunt huc humana argumenta, quia non sumus pares Abrahæ, Eliæ, Eliseo, Danieli, et similibus, sumus imbecilles, sine magnis donis, sine autoritate, ideo negligi nos iudicamus, & desperatione quadam omittimus inuocationem:

Sed hic debebamus intueri animis doctrinam Euangelij, quæ præcipit de fide, sicut iam dictum est, Debemus etiam intueri hanc Cananæam magistræ, quæ refutata indignitate, & particularitate, ratiocinatur promissiones non tantum ad Israel pertinere, sed etiam ad gentes. Canes inquit, edunt de micis. Ita excitata fide inuocare Deum in agnitione filij eius debemus. Et hæc fides ac inuocatio in his qui agunt poenitentiam, est summus cultus Dei, & præcipuus Ecclesiæ, sicut hic dicitur: O mulier magna est fides tua: Et hanc non esse irritam, sed impetrare bona, hæc ipsa uox testatur, Fiat tibi sicut uis, iuxta illud: Petite & accipietis.

Proponitur ergo nobis in hoc Euāgelio exemplū  
fidei

DOMINICA

*fidei eluctantis ex grauissimis tentationibus, & bona impetrantis, ut nos quoq; discamus uincere diffidentiam, excitare fidem, & inuocationem. Nec habemus minores causas, quam hæc Cananæ quæ laborat de filia sua, sic & nos de nostris necessitatibus, & de publicis:*

DOMINICA OCULI  
Euangelium Lu-  
cæ . XI .

**E**T erat eijciens Dæmonium, et illud erat mutum. Factum est autem egresso Dæmonio, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt, in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia: alij autem tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. Ipse autem sciens cogitationes eorum, dixit eis, Omne regnum contra seipsum diuisum, desolabitur, & domus supra domum cadet, Si autem & Satanas contra seipsum diuisus est, quomodo stabit regnū eius? quia dicitis, in Beelzebub me eijcere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciunt